UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

IOAN. PETRI || MAFFEII,|| BERGOMATIS,|| E SOCIETATE || IESV,|| HISTORIARVM || INDICARVM || LIBRI XVI.|| SELECTARVM, ITEM, EX || INDIA EPISTOLARVM || LIBRI IV.||

Maffei, Giovanni Pietro

Coloniae Agrippinae, Anno M.D.XC.

VD16 M 105

De profectione Hierosolymitana. Cap. XI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-64627

Visual Library

De profectione Hieroſolymitana. Cap. XI.

INTER hæc anni fere ſpatio exacto, partim ſpiritualiũ rerum ſcientia inſtructus, partim etiam arte quadam & conſuetudine regendarum animarũ imbutus, cùm nihil vulgare aut exiguũ agitaret animo, ſed egregia quædam & ardua in Dei gloriam ab ipſo conuerſionis initio concepiſſet; Hieroſolymam, quòd iamdudum habebat in votis, petere omnino conſtituit, non tam vt Chriſti Domini ſacratiſſima incunabula cerneret (tametſi idipſum vehementer optabat) quàm vt in conuertendis ad Euangelij lucem infidelibus qui ea tenent loca; vel operæ pretium faceret, vel certè martyrij palmam, cuius auidiſſimus erat, acquireret. Sed hoc ſuum de prædicando Euangelio conſilium, vitandæ ſcilicet humanæ laudis cauſſa, nemini prorſus aperiebat: peregrinationis verò propoſitum, cùm neceſſariò amicis patefeciſſet, multi primùm id ei multis rationibus diſſuadere, obteſtari etiam & orare ne populum ab ſe nuper è ſomno vitiorum excitatum ad ſtudia virtutis pietatiſque, repente desereret, neu ſe ipſe, affecta præſertim valetudine, itineri tam longinquo, ac tam periculoſo committeret. deinde cùm nec precibus, nec ſuaſionibus cum de ſententia dimouere poſſent, inſtare ſaltem & vrgere, ne incomitatus abiret; multa poſſe in tam remotis ignotiſque ſibi regionibus, ac tanta rerum humanarum varietate contingere, quæ præſentem cuiuſpiam fidelis opem ſolatiumque requirerent. Omnino probabilia videbantur afferri, & humano iudicio rem æſtimantibus, etiam neceſſaria: nec verò deerãt homines impigri, peritiq; linguarũ, qui ſeſe illi comites laboris ac periculorũ libenter offerrent. Verũ Ignatius, qua erat animi altitudine, in cælum ſemper intẽtus, atque à diuina prouidentia vſquaquaq; pendere mirabiliter cupiens, amicis omnia ſua in eum ſtudia profitentibus ita remiſit, vt diceret, in præcipuis

homi-

hominis Chriſtiani virtutibus, non modò fidem [illegible] tatem eſſe, verùm etiam ſpem. Eius porrò comparandæ gratia, certum ſibi eſſe non modò ſine viatico, ſed etiam ſine comite iter id ingredi; quòd clarè perſpiceret, cùm a- lia multa poſſunt homini accidere, peregrinanti [illegible] tim, ſibi quidpiam eueniſſet, fieri non poſſe quin [illegible] ſaltē ex parte comitis præſidio fideiq; confideret; proin- de quidquid in eo ſpei locaſſet, id vtiq; ex ea detractum iri fiducia, quam totam in vno Deo clementiſſimo pa- rente ac rectore vellet eſſe repoſitam.

Nauigat in Italiam. *Cap. XII.*

HAC igitur mēte ſub initiũ anni MDXXIII. magno omnium dolore Minoreſſa profe- ctus venit Barcinonem, vt in Italiam ex eo loco traijceret. cumque peropportunè para- tam ibi nauem offendiſſet, egit cum nauarcho ſupplici- ter, vt ſe mendicum egentemque gratis admitteret ac tranſ- portare ne grauaretur. cui naulum quidem ille ſe remiſ- ſurum promiſit; ea tamen conditione, vt [illegible] ſurum panis, quod erat neceſſarium, ſecum inferret. [illegible] ſo cùm vehementer angeretur Ignatius, quòd comme- tus copiam quamuis exiguam, cerneret [illegible] quam ſibi ſummam propoſuerat, legibus aduerſari; [illegible] multas anxiaſque cogitationes totam rem denique per- mittere ſtatuit arbitrio ſacerdotis, quem ſibi paucis illis diebus Barcinone, tum ſuæ conſcientiæ iudicem, tum in- terpretem diuinæ voluntatis elegerat. Ille re cognita [illegible] natio reſpondit, æqua poſtulare nauarchum; [illegible] non reſiſtendum eſſe, nec verò timendum, ne ſi [illegible] tam vilia præſertim ac neceſſaria, ſibi parauerit, [illegible] quam idcirco contra conſilium perfectæ paupertatis [illegible] mittat. Tum Ignatius quamquam ſoluto [illegible] gione animo, tamen partim ſacerdotis impulſu, partim etiam metu occaſionis eius amittendæ; emendicatos de- more pecunia, panes in nauem impoſuit, & ne quid præ- terea ſecum inferret, paucos qui ſuperfuerant [illegible]